

*invicem hi termini, concretum & abstractum ex usu Metaphysicorum, tantum distant illae res, quae proferuntur illis terminis ex usu Scripturae & Theologorum, & consequenter inter tales res non datur consensus unius Christianae fidei.* Praelect. F. C. p. 321.

§. VII. Praeterea vero, uti non omnimode negaverim, terminos hos ipsos abstracti & concreti vel etiam terminos abstractivos *naturae, carnis & alios rem ipsam exprimentes*, litem fundare: ita, si hoc cum exclusione rei ipsius intelligatur, & quasi certamen sit de solis vocabulis, adeoque in logomachiam abeat, nequaquam istud assertum concedi potest. Neque tamen etiam priori modo illud sine cautela largietur rerum quodammodo peritus. Nam sicuti alias bene dici potest, quod, ubi de Communicatione Majestatis divinae Filio hominis facta, quaestio inter nos & Reformatos agitatur, negotium eo redeat, ut disquiratur: an Christo Θεου Ἰσώπῳ Majestas competat *in solo concreto*, an etiam *in abstracto*? Et prius a Reformatis, alterum a nostratibus defendatur; nihilominus deinceps disquirendum erit, quomodo *concretum*, quomodo *abstractum* concipiatur, ne aut ab illis, dum veritatem videntur concedere, nos fallamur, aut nobis tribuatur, quod in mentem non venit. Nam dum de *concreto* Reformati loquuntur, quod tamen aut *personae*, aut *naturae* est, & hujus vel *divinae*, vel *humanae*, hactenus substiterunt intra prima saltem & secunda spatia: ad tertium vero, nempe *concretum humanae naturae*, non nisi cum reservato subintelligendi saltem divinam, progressi fuere. Quod vero abstractum concernit, quod itidem vel *personae*, vel *naturae* est, posterius quidem a Reformatis nobis imputatur: verum illud, ubi de communicatione Majestatis divinae ad naturam humanam agitur, locum minime habere posse, nostrates unanimiter profitentur, & solum *abstractum personae* hic subjectum propositionum hujus generis una cum *concretis* constituere posse, imo cum *concreto naturae* prorsus coincidere, absque ulla dubitatione affirmant. Quo observato, etiam facile judi-

judi-